JO. BASILII KÜCHELBECKERI,

J. U. D.

DISSERTATIO

DE

JURE ET MODO COGNOSCENDI

DE

FEUDIS IMPERI

ANTIQUO ATQUE HODIERNO,

OLIM

IN ACADEMIA ULTRAJECTINA

ANNO MDCCXXIX. HABITA,

ET

NUNC SECUNDA VICE RECUSA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

SUMTIBUS JOHANNIS CHRISTIANI HENDELII, 1731.

Digitized by Google

B. C. D.

PROOEMIUM.

Occaſione juris cognoſcendi de feudis imperii varia & anceps omnino inter Doctores olim agitata, & usque ad noſtrum fere ævum continuata eſt diſputatio. Quæſtio enim erat: utrum in feudalibus imperii cauſis hæc cognitio ſoli Imperatori, excluſis imperii Statibus, competat; an horum conſenſus in ejusmodi controverſiis decidendis ſit neceſſarius? Suis utraque ſententia gaudebat defenſoribus, quorum nonnulli ab Imperatoris partibus ſtabant, quidam vero Statuum jura defendebant, ſed ut plurimum craſſa & infelici Minerva. Superiorum enim ſeculorum Doctores nimio juris civilis amore capti non dubitabant, controverſias juris publici Germanici ex ipſo jure privato Juſtinianeo, maxima confuſione ſtatuum duorum diverſiſſimorum, Romani ſcilicet & Germanici, definire. Deinde rudi illo ævo periculoſum pariter atque exoſum erat

Digitized by Google

veritatem profiteri; hinc multos credo eſſe commotos, veritatem aut celare, aut in alienum ſenſum detorquere. Saniori profecto ſeculo vivimus, in quo non libertate ſentiendi ſolum gaudemus, ſed in Academiis quoque jus publicum patrium profitemur. Qua ex ratione eo minus dubitavi cum delicatiori hacce materia hoc delicati palati ævo in lucem prodire, atque de ea hac vice nonnihil diſſerere, præprimis cum hæc controverſia in ultima Capitulatione Cæſarea clarius ſit deciſa. Accedit, quod hoc quoque tempore in judicio Imperatoris aulico quæſtio de ſucceſſione in Ducatu Juliacenſi, Saxo-Lauenburgico, Romhildenſi, Coburgenſi, Holſato-Rethwitſchzenſi, &c. ventilata eſt, aut adhuc ventilatur, quæ nobis calcar addidit ultimum. Tantum potuit in nos eximii argumenti vis, ut Tibi, Benevole Lector, jus modumque cognoſcendi de feudis imperii antiquum & hodiernum ea, qua par eſt modeſtia ſimul ac reverentia ſiſtamus. Gratum nobis pariter atque acceptum erit, ſi in hiſce fortaſſe invenies pagellis, quæ Tibi placeant vel argumenti pondere, vel tractationis ubertate, iisque tuum addere ſuffragium non dedignaberis. Vale B. L. noſtrisque laboribus æqui bonique conſule!

DIS-

DISSERTATIO JURIS PUBLICI INAUGURALIS,

DE

Jure & modo cognoſcendi de Feudis Imperii antiquo & hodierno.

CAPUT I.

De Jure & modo cognoſcendi de Feudis Imperii antiquo.

JUris publici ſtudium ſtudioſo juris neceſſarium, §. I. *Ad hoc multum facit jus feudale*, II. *Imprimis in cauſis Imp. feudalibus decidendis*, III. *Tranſitio ad tractationem*, IV. *Summa thematis*, V. *Judex feudalis ſecundum jus Longobardicum quis?* VI. *Legum Longobard. nulla applicatio ad Statum Germ.* VII. *Quis olim de feudis Imperii cognoverit, & quidem Carolingorum temporibus*, VIII. *Tempore Imperatorum Saxon.* IX. *Sub Imperatoribus Francicis atque Suevicis Jus Principum invaluit*, X. *Exempla hujus Judicii*, XI. *Poſt magnum interregnum qualis juriſdictio feudalis?* XII. *Judicium principum poſt magnum interregnum non ſolum continuatum, ſed quoque confirmatum*, XIII. *Exempla cauſarum in iſto judicio deciſarum*, XIV. *Perſonæ judicium Principum conſtituentes, & modus procedendi*, XV. *Clauſula capitis*, XVI.

§. I.

QUam incongrua atque inepta quorundam ſit perſuaſio, qui juris ſtudioſo publici juris inveſtigationem inutilem eſſe putant, teſtatur Imperator Juſtinianus (1), admonens ea addiſcenda eſſe, quæ civem ingenuum ad Remp. in partibus ſibi credendis gubernandam aptum reddunt. Nec veteres JCti de Legum explicatione ſolum, ſed de omni fere Reip. negotio, affirmante Cicerone (2), conſulebantur,

(1) *Proœm. Inſtit. ſ. fin.*
(2) *Lib. III. de Orat.*

bantur, adeo ut jurisprudentia politicam pene complecteretur omnem. Hinc eos, qui ſe juris peritos profiteri contendunt, publici juris non minus quam privati doctos eſſe oportet, exemplo Tuberonis, quem laudat Pomponius (3), ac Titi Ariſtonis, inter cujus laudes id memorat Plinius Junior. (4). Juſtinianus enim jurisprudentiæ ambitum non privato ſolum, ſed publico quoque jure determinavit.

§. I I.

Iis autem qui juris publici ſtudio accuratius incumbere volunt, teſte Morhofio (5), res feudales non ſunt perfunctorie tractandæ: cum enim cætera jura pleraque ſunt privata, hæc feudalia ſe immiſcent principum rebus, & alte ex hiſtoria ſunt repetenda. Ita medium quaſi inter jus civile & publicum audit jus feudale, quia ſcilicet a privatorum rebus paulatim ad altiora adſcendimus, quibus cum principum jura connectimus.

I I I.

Hinc præprimis in cauſis Imperii feudalibus decidendis maxime neceſſarium eſt, non ſolum juris feudalis Longobardici, ſed conſuetudinem potius feudalium olim in Germania noſtra vigentium peritum eſſe, quæ ſcientia cum legibus Imperii fundamentalibus caute combinanda & in praxi prudentiſſime applicanda. Omnis enim controverſia de feudis Imperii ex legibus ejuſdem fundamentalibus, &, niſi certum quid iis ſtatutum, ex jure feudali Alemannico, atque in ſubſidium tandem ex conſtitutionibus feudalibus Longobardicis decidenda venit (6).

I V.

(3) *L. 2. π. ſ. 46. de Orig. Jur.*

(4) *Lib. I. Epiſt. 22.*

(5) *Polyhiſt. Lib. III. 6. 7. 15.*

(6) *Struv. Hiſt. Jur. c. VIII. ſ. 28. 29. Conf. Gribneri doctiſſima Diſſ. de Præjudicio principum Imp. ex abuſu juris Juſtiniani. Witemb. 1715. habita.*

I V.

His præmiſſis videamus, cui in cauſis & controverſiis feudalibus in Imperio noſtro Romano-Germanico cognitio competat, quis judex ſit, & coram quo de hujuſmodi feudis agatur? Res ſane altioris indaginis eſt, magis ab Imperatore & Statibus Imperii, quam a privato decidenda: tritum & vulgatum enim eſt illud, quod magnæ & arduæ cauſæ magnos requirant judices (7). Nihilo tamen minus ſpero fore, ut nobis licitum ſit mentem noſtram de hac materia modeſte pariter atque decenter exponere.

V.

Tribus autem capitibus abſolvitur thema noſtrum: primo de jure atque modo cognoſcendi de feudis Imperii antiquo acturi ſumus; deinde tractabimus jus cognoſcendi de feudis Imperii hodiernum, cuinam ſcilicet hæc cognitio ſecundum leges Imperii fundamentales hodie competat; tandem ſiſtemus modum procedendi in cauſis feuda Imperii concernentibus modernum ſecundum praxin & obſervantiam in Imperio conſuetam.

V I.

Antequam autem ipſum primæ partis tractationem aggredimur, paucis nobis illuſtrationis cauſa inquirendum, quomodo jure Longobardico judex feudalis ejuſque competentia ſoleat repræſentari (8): judex ſcilicet feudalis vel eſt ipſe dominus feudi, vel Pares curiæ. Quodſi enim inter vaſallos lis ſit, dominus directus judex eſt competens (9), qui quoad feuda regalia ſolus, quoad non regalia, adhibitis Paribus curiæ, judicat atque cognoſcit (10). Si vero inter dominum & vaſallum cauſa feudalis agatur, vel etiam inter duos vaſallos de feudo litigantes, lis tamen dominum concernat,

(7) *L. 32. ſ. 7. π. de Recept. qui arbitr.*

(8) *Quid judex ſit, quid judicium, ex jure civili jam conſtare præſumitur. conf. l. 9. l. 13. C. de jud.*

(9) *II. Feud. 55. ſ. fin.*

(10) *I. Feud. 18. II. Feud. 55. in fin.*

nat, tum judicant ſoli Pares curiæ (11): Dominus enim in propria cauſa judex eſſe nequit. Sunt autem Pares curiæ, qui ab eodem domino mediate feudum habent; nec jure communi requiritur, ut ejuſdem cum vaſallo litigante ſint dignitatis, ſed ſufficit, ſi ejuſdem domini ſint vaſalli immediati (12). Ita res omnino comparat eſt, quando de ipſo feudo conſtituto, vel ejus natura dependentibus lis agitur. Quodſi enim cauſa non feudalis ſit, vel ſi quis ſe vaſallum neget, vel inter vaſallos diverſiſſimorum dominorum lis ſit, judex ordinarius cognoſcit. Deinde regulariter idem modus procedendi, qui alias in civilibus judiciis, obſervatur, niſi ſpeciale quicquam jure feudali diſpoſitum reperiatur (13). Porro a judice feudali inferiori appellatur ad ſuperiorem, vel ſi hic non detur, ad eum qui alias in cauſis civilibus eſt ſuperior, & cujus jurisdictioni iſte judex feudalis inferior ſubjectus (14).

V I I.

Verum enim vero illa nec ad feuda Imperii mediata nec immediata applicari queunt, multo minus ad publicam Imperii Rom. Germanici jurisdictionem quadrant, ut omnino eorum ad Remp. noſtram applicatio ad artis legulejæ emblemata referri debeat. Cum enim quoad priora judices inferiores ab imperante jurisdictionem habeant, eorum competentia ex ſtatu cujuſvis provinciæ, non ex legibus peregrinis dijudicanda eſt. Hinc in terris iſtis, ubi jus Landſaſſiatus viget, & vaſalli ſimul ſunt ſubditi, e. g. in Saxonia tam Electorali quam Ducali, Marchia Brand. Auſtria, Bavaria, Ducatu Magdeburgenſi, Brunſuicenſi, atque Holſaticis, Anhaltinis & Halberſtadienſibus ditionibus judicium Parium curiæ ceſſat, & tales cauſæ coram judiciis provincialibus vel regimine pertractan-

(11) *II. Feud. 16. & 39.*
(12) *B. G. Struv. juriſprud. feud. c. XXII. §. 4.*
(13) *Anton. D. 15. th. 1. lit. a.*
(14) *I. Feud. 22. II. Feud. 22.*

Google

tractantur (15). Exinde ſequitur, quodſi judicia noſtra feudalia in nonnullis partibus forte cum Longobardicis conveniant, horum ratio non legibus Longobardicis, ſed inſtitutis propriis cujuscunque provinciæ dependeat (16). Hac ex cauſa in Archi-Epiſcopatibus Moguntino, Trevirenſi ac Colonienſi; Epiſcopatibus Bambergenſi & Herbipolitano; terris Palatinis, Würtenbergicis, Megapolitanis, Pomeranicis, Haſſiacis, Juliacenſibus, Clivienſibus Parium curiæ judicium adhuc obtinet, aut obtinere debeat (17).

VIII.

Quod tandem ad feuda Imperii immediata attinet inficias nemo facile ibit, quod, ſepoſitó vulgari præjudicio, competentia judicis feudalis in Imperio Rom. Germanico ex alio argumento ſit enodanda; & quidem, quoad judicium feudale antiquum, ex hiſtoriarum monumentis quæſtio omnino decidenda eſt, ſi a veritate aberrare nolumus: olim enim res aliter, quam hodie, ſeſe habebat. Et quidem Carolingorum temporibus ſoli Imperatores regimine monarchico gaudentes exercuerunt judicium feudale, Duces ducatibus privaverunt, de Imperii provinciis atque dignitatibus pro lubitu atque arbitrio diſpoſuerunt (18.) Dum enim Duces majoris eſſent potentiæ, quam ut commodum videtur ſtatui monarchico, ſenſim ſuſtulit Carolus M. Duces, ac Ducatus in plures diviſit Comitatus, prout Bavariæ exemplum teſtatur (19). Senſim quoque ſub reliquis Carolingis reducti fuerunt Duces, & eorum poteſtas non amplius erat propria, ſed adminiſtratoria, provinciam ſcilicet gubernabant, tributa indicabant, & leges juſſu

B Regis

(15) *B. G. Struv juriſprud. feud. c. 22. §. 5.*

(16) *Titii Lehn-Recht, c. XXVIII.*

(17) *Schilter. Comment. ad J. F. Alemann. c. X. §. 2. c. 90. Struv. c. l.*

(18) *Eginhardus in Vita Caroli M. c. XI.*

(19) *Struv. Juris Publ. Prud. c. XIX. §. 4.*

Regis proponebant (20). Hinc etiam dicebatur Duces feudales, quia certis provinciis præfecti; quibus opponebantur honorarii ſine provincia Ducis nomine & dignitato gaudentes (21).

I X.

Et licet extinctis Carolingis ſibi ipſis reges eligerent Germani, ac ſub Imperatoribus Saxonicis auctoritas atque jura principum aliquo modo jam invaleſcerent; nihilo tamen minus in cauſis feuda & provincias Imperii concernentibus ſoli adhuc cognoſcebant Imperatores (22). Hinc Otto M. Bavariam Arnulphi Ducis filiis relinquere noluit, ſed eandem fratri Henrico conceſſit. Quodſi tamen dubium eſſet, an feudum Imperio vacaret, hoc per ſententiam principum prius erat determinandum, quo facto, ipſa feudi collatio Imperatoris poteſtati relinquebatur.

X.

Verum enim vero ſub Francicis atque Suevicis Imperatoribus poteſtas atque jura ſtatuum, regimine monarchico in ariſtocraticum fere mutato, magis magisque firmata fuerunt, & jus principum, *das Fürſten-Recht*, invaluit, quod nihil aliud fuit ac judicium quoddam principibus ſive Statibus Imperii ex ea ratione compoſitum, ut Imperator in cauſis principum, *ihr Leib*, *Ehr und Gut* concernentibus non niſi cum ejus conſenſu, vel in comitiis univerſalibus, vel etiam principum conventibus, illos judicaret: itaque tunc temporis tum in feudalibus tum criminalibus ſimul cum Statibus Imperii cognoverunt juſque dixerunt Imperatores (23). Et quidem hoc principum judicium tempore Henrici IV.

(20) *Lehmann. Chron. Spirenſ. Lib. II. c. 16.*

(21) *Struv. c. l. §. 5. ejusd. Synt. Hiſt. Germ. Diſſ. VII. §. 20. Diſſ. XV. §. 36.*

(22) *Regino ad anno 938. Sigeb. Gemblac. ad ann. 946. Struv. Synt. Hiſt. Germ. Diſſ. XXVI. §. 32.*

(23) *Jo. Groening de Jure Principum. Conring. de judiciis imperii*

ci IV. Imp. in pleno vigore fuiſſe adſerit Hippolithus a Lapide de Ratione Status, teſtante anonymo monacho Herſveldenſi (24), quia in legibus pacis inter dictum Imperatorem & Saxones ſancitæ cautum fuerit, ut Imperator Duci Othoni ducatum Bojoariæ repoſcenti intra anni ſpatium *juxta principum juriſdictionem* ſatisfaceret.

X I.

Accedunt porro permulta exempla, tanquam infallibilia teſtimonia de hujus judicii exiſtentia medio ævo, quæ in hiſtoriarum monumentis nobis ſunt relicta. Et quia impoſſibile pariter atque fruſtraneum eſſet, univerſam eorum ſeriem enumerare; audiamus hac vice tantummodo nonnulla, quibus hoc principum judicium & modus procedendi tam in feudalibus quam criminalibus medii ævi non ſolum illuſtratur, ſed noſtra quoque aſſertio corroboratur. Sic Fridericus I. in conventu principum Herbipolitano & Wormatienſi anno 1152 & 1153. controverſiam inter Henricum Leonem & Henricum Auſtriæ Ducem dijudicare tentavit; verum altero non comparente, Goslariæ Bavaria Henrico Leoni principum judicio fuit adjudicata (25), & tandem in curia generali Ratisbonæ anno 1156. habita omnis controverſia de Ducatu Bavariæ inter nominatos Henricos definita (26). Porro ſingulare exemplum in ipſius Henrici Leonis proſcriptione extat, qui cum Imperatorem in Italia reliquiſſet, binis comitiis datis non compareret, in tertiis & quartis demum principum ſententia Banno notatus, ac omnibus provinciis privatus fuit. Sic Otto IV. Imp. Otto-

perii §. 49. Struv. jur. publ. prudent. c. XXIV. §. 4. Rhetius Inſt. jur. publ. lib. IV. tit. 4. negat hoc principum judicium unquam extitiſſe; ſed uti ſententia illa a veritate omnino abludit, ita quoque rationes prolatæ neutiquam concludunt.

(24) *In Chronico Hiſt. Germ. ſub anno 1073.*

(25) *Otto Friſing. lib. II. c. 9.*

(26) *Struv. Syntagm. Hiſt. Germ. Diſſ. XVIII. §. 48.*

Digitized by Google

Ottonem Wittelsbacenſem & Marchionem Andecenſem, qui Philippum Imperatorem interfecerant, in curia magna Auguſtæ Vindelicorum habita 1208. ad voluntatem omnium principum proſcriptione publica damnavit, damnatoſque & provinciis & dignitatibus exuit (27).

XII.

Ita cognitio & juriſdictio feudalis in Germanico imperio uſque ad magni interregni tempora comparata, Imperatoribuſque in hac parte ſatis adhuc poteſtatis erat. Licet enim eo ævo Imperatorum poteſtas jam decreſceret, ea tamen non tam circumſcripta erat ac ſequentibus temporibus: nam durante magno interregno, diverſa Statuum incrementa & jura eximia invaluerunt, atque territorii ſuperioritas potiſſimum cœpit, quæ Imperatoribus maxime obfuit, ita ut nec Rudolphus Habsburgicus, quantum etiam vellet, in priſtinum revocare jura Imperatoris valeret. Hinc Status cœperunt de regimine imperii participare, judicia cum Imperatore exercere, atque in feudalibus & criminalibus cognoſcere, quorum conſenſus in dictis cauſis omnino erat neceſſarius; quod frequentiſſima comitia iis temporibus habita clarius atteſtantur.

XIII.

Itaque quod ſuperioribus temporibus uſu introductum fuit judicium principum, nunc legibus & conſtitutionibus publicis in imperio confirmabitur. Duplex enim erat tum temporis imperio judicium: alterum de cauſis & rebus vulgarium perſonarum; alterum vero de cauſis illuſtres perſonas concernentibus cognoſcebat. Prius jam olim vocitatum fuit *das Cammer-Gerichte* (28), ejus

(27) *Godefridus Mon. ad ann. 1208. Arnold. Lubec. lib. VII. c. 16. 18. Chron. Aug. ad ann. 1209.*

(28) *In literis Friderici III. Imp. ad Henricum Ducum Bavariæ de dato Neuſtad an St. Bartholom. Abend anno 1448. quæ extant apud Lundorpium Act. publ. tom. II. lib. 1. tract. 2. it. in Conſtit. & Ordin. pacis publ. ad quadriennium de anno 1471. ſ. 9.*

ejus præſes, ut nunc, ita olim quoque dictus *der Cammer-Richter* vel *der Reichs Hof-Richter*. Hoc judicium ſemper patuit, uti ex vetuſta Friderici II. Imp. conſtitutione de anno 1236. apparet (29). Hinc errat Paurmeiſterus (30) ſtatuens, illud judicium non continuum, ſed certis tantum temporibus, & plerumque in comitiis fuiſſe celebratum. Poſterius quod circa cauſas vitam, famam & bona illuſtrium ſive principum concernentes occupatum fuit, erat ipſum ut olim judicium principum, *das Furſten-Recht, ſive ein Teutſches Recht, und mit Teutſchen Furſten beſetzet* (31). Plane hoc judicium diverſum erat a judicio iſto cameraii ſive aulico, uti videndum ex ordinatione antea dicti Friderici II. Imp. (32), ita ut præſes judicii aulici in eo procuratorem egerit, uti in prima Sigiſmundi Imperatoris ſententia Conſtantiæ 1417. lata pluribus traditur (33).

X I V.

Nec deſunt exempla, quibus exiſtentiam & cognitionem hujus judicii poſt magnum interregnum probare poſſumus. De Auſtria & vicinis ditionibus cum inter Rudolphum I. Imperatorem & Otto-

(29) *Qua ſancitum: daſs der Reichs-Hoffrichter ſoll alle tage zu Gerichte ſitzen, ohne ſonntage und die heiligen tage. Goldaſt. Conſt. Imp. p. 84.*

(30) *Lib. II. de juriſd. c. 6. n. 22.*

(31) *In ſententia Imp. Sigiſmundi de anno 1431. & in ſecunda ejuſdem ſententia Conſtantiæ anno 1417. lata.*

(32) *Qua ſcil. cavetur: daſs der Hoffrichter ſoll die leute richten, die ihm klagen, von allen leuten, ohne Furſten und andere hohe Leute, wo es gehet an ihr Lehn, Erbe, Leib, Recht oder Ehre, das wollen wir richten. Conf. Struv. S. I. P. c. XXIV. pag. 1134.*

(33) *Ubi verba; Stunde im Gericht der edle Graf Gunther von Schwartzenburg, Herr zu Ranitz, Königl. Hoffrichter, Hertzogs Ludwigs, der auch gegenwärtig, furſprach.*

Ottocarum Bohemiæ Regem controverſia orta eſſet, anno 1277. pax in has conditiones facta eſt, ut Ottocarus iis provinciis cederet, & cognitionem de illis Imperatori & principum ſenatui permitteret (34). Ludovicus Bavarus Marchionatum Brandenburgenſem anno 1323. in filium ſuum non aliter quam conſilio procerum imperii tranſtulit; id quod ipſe fatetur in Epiſtola ad Johannem XXII. Pontificem Rom. (35). Ita Sigiſmundus Imp. confitetur, ſe cum ſtatuum conſenſu Friderico, Miſniæ Marchioni, Electoratum Saxoniæ conceſſiſſe (36). Imo laudatiſſimus Imperator ægre tulit, cum tempore Concilii Baſileenſis Ericus, Dux Lauenburgicus, Fridericum, Saxoniæ Electorem, coram dicto concilio ratione Electoratus conveniſſet, etiam atque etiam literis ad concilium datis proteſtatus, hanc controverſiam coram Imperatore Statibus imperii eſſe ventilandam atque decidendam (37). Appellatione autem a Lauenburgico poſtea apud concilium interpoſita, Sigiſmundus ſerio alia petiit epiſtola (38) a concilio, cauſam appella-

(34) *Gerhard. a Roc p. 23. 24. Annal. Colmar. P. alt. pag. 42. Albert. Argent. p. 101.*

(35) *Quæ extat in G. S. Seldens bedencken an Keyſer Ferdinanden, wie des Pabſts zu Rom, Pii V. unbilligen anmaſen wider ihro Keyſerl. Maj. ordentl. wohl zu begegnen, fol. m. 105. ubi ſequentia: darum wir als Röm. Furſt und verwalter des H. R. Reichs nach vermoge der Keyſerl. rechte und löbl. gewohnheit des Röm. Reichs mit rath der Furſten verliehen haben unſern erſtgebohrnen die Marck Brandenb.*

(36) *Hortleder I. lib. IV. c. 23. ubi verba: daſs es geſchehen ſey mit wohl bedachten muth und guten rath ſeiner und der reichs Furſten geiſtl. und weltl. Grafen, Herren, edlen und getreuen.*

(37) *Vid. Epiſt. Sigiſmundi ad Conſil. Baſileenſe anno 1434. Ulmæ data.*

(38) *In his literis expreſſe dicit: ſecundum juris communis diſpoſitionem, nec non uſum, morem, ſtylum & conſuetudinem S. R. Imperii*

pellatam remitti, alioquin contra concilium ſe proteſtari. Quem modum procedendi & ſequentes obſervaverunt Imperatores, ut apparet ex cauſa Bavaricæ ſucceſſionis anno 1440. quam Fridericus III. Imperator ad comitia remiſit, qui controverſiam inter Henricum Palatinum & Albertum Bavarum, non coram judicio ſuo aulico, ſed cum principum judicio atque conſenſu anno 1448. voluit decidi. Idem quoque fecit Maximilianus I. in controverſia de ſucceſſione in Ducatum Landshutanum poſt mortem Georgii divitis anno 1503 (39).

X V.

Conſtabat autem hoc judicium ex principibus & ſtatibus imperii tam eccleſiaſticis quam ſecularibus ejuſdem dignitatis & conditionis cum partibus litigantibus. Non erat continuum, ſed pro re nata principes & ſtatus convocabantur ab imperatore; nec principum certus numerus erat conſtitutus, ſed ſufficiebat, ſi plures ſtatuum præſentes erant. Quoad modum procedendi in eodem judicio paucis nobis annotandum venit, ſeculo XV. inter Imperatorem Sigiſmundum & imperii principes Baſileæ 1417. ſancitum eſſe ſpeciali quadam conſtitutione (40), quomodo principes coram iſto principum judicio ſint citandi & conveniendi; quacum coincidit receſſus imperii Nordlingenſis de anno 1466. atque perplures aliæ ſanctiones in imperio factæ. Olim enim modus cognoſcendi & procedendi fere arbitrarius erat; nunc autem certæ obſervandæ erant ſolennitates legibus ſupra allegatis præſcriptæ: v. g.

perii feudalis contentio per dominum feudi & pares curiæ terminanda eſt, & ad noſtram & illuſtrium Archiprincipum & Electorum notionem pertinet.

(39) *Vid. Pluẞ. Struv. S. J. P. c. XXIV. qui ex Goldaſto, Müllero & aliis auctoribus ipſa documenta excerpſit.*

(40) *Die geſetze der Churfurſten und Furſten zu Baſel gemacht mit Keyſer Sigiſmunden, wie ein Furſt den andern vor das Röm. Reich laden ſoll, ap. Lundorp. act. publ. p. 22.*

v.g. citatio a perſona ejuſdem dignitatis partibus erat inſinuanda, nec terminus præfixus debebat eſſe nimis anguſtus; utraque pars tenebatur in perſona comparere, atque cauſam ſuam per cauſidicum defendere. Tractabantur coram hoc judicio tantum cauſæ ſtatuum vitam, famam, feuda & bona allodialia concernentes, nulluſque eorum forum hoc declinare poterat (41). Principum cauſæ & negotio ibidem lingua Germanica erant proponenda, atque ſecundum jura Germanica a dicto judicio pronunciabatur (42), & quæ ſint reliqua.

X V I.

Ex hactenus dictis apparet, juriſdictionem feudalem & modum cognoſcendi de feudis imperii varium olim fuiſſe; id quod mirandum non eſt mirum, quoniam ſtatus imperii & forma regiminis ſecundum diverſa tempora erat diverſiſſimus, nec publicis imperii conſtitutionibus hæc quæſtio ante interregnum magnum ita determinata erat, ut nihil dubii ſuperfuerit; hinc judicium feudale moduſque procedendi & judicandi pro re nata ſæpius innovabatur. Interim tamen cum obſervantiam, quæ utramque juris publici partem facit, intuemur, negari nequit, poſt Carolingorum & Saxonicorum Imperatorum tempora juris & conſuetudinis ſemper fuiſſe, quod nulla niſi cum conſenſu principum in feudalibus cognitio ab Imperatoribus facta ſit (43).

CAPUT

(41) *Vid. ſupra ſ. 13. nom. 32.*

(42) *Conf. plur. der auctor des berichts: ob Keyſerl. Maj. in ſachen Furſtenthum betreffend, allein oder mit zuziehung der Chur- und Furſten zu erkennen und zu ſprechen. it. Goldaſt. conf. Imp. part. II. p. 98.*

(43) *Schilter. jur. feud. Alemann. c. XVIII. ſ. 1.*

Digitized by Google

CAPUT II.

De jure cognoſcendi de feudis imperii hodierno.

Solus Imperator hodie eſt judex feudalis. §. I. *Quomodo nacti ſint Imperatores juriſdictionem feudalem,* II. *Status Imp. contradixerunt,* III. *Qui hanc jurisdictionem tandem judicio Imp. Aulico reliquerunt,* IV. *Feuda imperii quotuplicia,* V. *Qualis cognitio judicio Imperat. aulico competat de feudis regalibus eccleſ.* VI. *Et feudis regalibus ſecularibus,* VII. *Quid juris, quando inter Status Imp. de feudo conſtituto controverſia?* VIII. *Interdum Imp. Statuum conſilio cognoſcit,* IX. *Quid juris, quando de parte feudi regalis quæſtio ſit?* X. *Quomodo verba Ordin. judicii Cameralis explicanda,* XI. *Obſervantia & praxis hodierna,* XII. *De feudis imperii minoribus cognoſcit Camera Imper.* XIII. *Quid juris de feudo conſtituendo?* XIV. *Et quidem olim,* XV. *Quid hodie juris in proſcribendis Imp. Statibus?* XVI. *Feuda imperii aperta qua ratione hodie conferantur,* XVII. *Quæ diſpoſitio imperio ſalutaris eſt,* XVIII. *Cui cognitio de inveſtitura feudorum Imp. competat,* XIX. *Jus cognoſcendi de feudis regni Italici,* XX. *Vicarii an de feudis imperii cognoſcant?* XXI. *Pontifici Rom. nullum competit jus in feuda imperii,* XXII. *Clauſula capitis,* XXIII.

§. I.

IN antecedentibus explicavimus jus modumque cognoſcendi de feudis imperii, qui ſub Carolingis, Saxonicis, Francicis, Suevicis & Habsburgicis Imperatoribus uſque ad Friderici III. & Maximiliani I. tempora in uſu olim fuit; reſtat juriſdictio feudalis hodierna & modus de feudis imperii cognoſcendi modernus, de quibus pluribus hoc loco nobis diſſerendum. In genere autem ſciendum poteſtatem judiciariam in imperio inter reſervata Imperatoris numerari; hinc ſolus Imperator hodie cognoſcit in cauſis feudorum tam regalium quam non regalium, licet feudis privare Statum nequeat ſine reliquorum imperii ſtatuum conſenſu: nam cauſæ, quæ ad reſervata Imperatoris ſpectant, ipſius juriſdictioni ſolummodo ſubjiciuntur (1). Qua ratione autem hanc pote-

(1) *Struv. Juriſprud. publ. c. XI. ſ. 24.*

Digitized by Google

poteſtatem judiciariam nacti ſint Imperatores, in ſequentibus explicaturi ſumus.

I I.

Conſtituto a Maximiliano I. 1512. judicio quodam aulico, quod Senatus imperii dicebatur, in deſuetudinem abiit principum judicium, cauſæque feudales novo judicio ſunt reſervatæ, & quidem proprio ſtatuum imperii conſenſu, dum cauſas majoris momenti ad idem judicium vel detulerunt vel deferri paſſi ſunt (2). Ratio hujus conſenſus fuiſſe videtur, quod Senatus iſte octo conſiliariis conſiſtens, quorum quatuor ab Electoribus & quatuor a reliquis ſtatibus conſtituebantur, ab imperii ſtatibus dependebat, licet nomine Imperatoris jus dixerit atque pronunciaverit. Hac enim ratione mediante eodem judicio ſtatus adhuc gaudebant jure ſimul cum Imperatore controverſias in imperio occurrentes vel via juris vel amicabili compoſitione definiendi, de feudis imperii cognoſcendi, atque immorigeros ſtatus ad obſequium redigendi. Verum enim vero Caroli V. temporibus hoc judicium imperii a Ferdinando I. in aliam formam redactum, nomen judicii Imperatoris aulici induit; id quod a Maximiliano II. renovatum, & tandem a Ferdinando III. per ordinationem judicii Imperatoris aulici auctum & correctum eſt, excluſis omnibus imperii ſtatibus, qui hodie non amplius jure fruuntur conſtituendi aſſeſſores, ſed illud a ſolo Imperatore plane dependet (3).

I I I.

Ab eo tempore omnis juriſdictio feudalis, excluſis Statibus penes Imperatores fuit, qui eam per judicium aulicum, maximo cum Statuum præjudicio, exercere, de feudis regalibus Imperii cognoſcere, Status inconſultis, reliquis proſcribere, proſcriptos feudis privare,

(2) *Receſſ. Imp. de ann. 1512. Fugger. Lib. VI. c. XV. pag. 1289.*

(3) *Reichs-Staat Tom. II. Part. 9. c. 3.*

Digitized by Google

privare, neutiquam dubitavere (4). Interim tamen non plane defuerunt contradictiones, quibus huic judicio imperiali refragari non veriti ſunt principes Imperii. Cum igitur anno 1623. Fridericus V. Elector Palatinus a Ferdinando II. inſciis Electoribus reliquis proſcriberetur, & electoralis dignitas in Maximilianum Bavarum transferretur, Johannes Georgius I. Saxoniæ Elector huic facto cum aliis valde obſtitit, uti ex ejus proteſtatione colligere licet (5). Id quod majori pondere Elector Brandenburgicus tunc temporis confirmans huic translationi ſine Electorum conſenſu factæ etiam atque etiam contradicebat (6). Huc etiam referri poteſt, quod in eadem cauſa dicti Electores per legatos ſuos in Comitiis Ratisbonenſibus 1623. Imperatori & Statibus notum fecerunt (7). Hanc ob cauſam in ſequentibus Capitulationibus ſibi & reliquis Statibus meliorem in modum proſpexerunt Electores, de quo infra §. 16. pluribus.

(4) *Sleidanus Lib. XIX. p. 576. Thuanus Lib. II. p. 226. Heuterus Lib. II. c. 13.*

(5) *Thulemar. Octovirat. p. 370. ubi: Daſs dieſe translation der Chur auf Bayern ohne vorbewuſt der Chur-furſten geſchehen, ungeachtet es eine unter denen wichtigſten Sachen des Reichs ſey, darum die Chur-furſten gefragt werden ſolten. Ad Electorem Mogunt. Laudatiſſimus Saxo ita ſcripſit: Da die Chur-furſten nicht gefragt werden ſolten, wenn ein Chur-furſt ins Chur-furſtl. Collegium geſetzet wird, wuſte er nicht, worinnen die Churfürſtl. Wurde beſtunde. Limnæus J. P. Lib. III. c. 9. n. 15.*

(6) *Thulemar. c. l. p. 372. Daſs die Translation von groſer Importanz, davon billig mit dem Chur-furſtl. Collegio communiciret, und nicht allein intimiret werden ſollen.*

(7) *Lundorp. Act. Publ. Tom. II. Lib. VI. Damit nicht Churfurſten und andere Stände des Reichs weit deterioris conditionis, als ein Edelmann in Pohlen ſeyn, dann derſelbe nicht anders, als auf einen öffentlichen Reichs-Tag proſcribiret werden kan.*

Digitized by Google

I V.

His præmiſſis de ipſo judicio feudali Sacri Rom. Imperii, quod judicium Imperatoris aulicum eſt, nobis agendum. Tantum enim potuit obſervantia, ut cauſæ tacito Statuum conſenſu huic judicio ab initio relictæ, poſtea ab Imperatoribus eidem expreſſe reſervatæ (8), atque per centum, & quod excedit, annos ibidem ſint ventilatæ atque dijudicatæ. Cognoſcit hoc judicium nomine Imperatoris de omnibus Imperii feudis tam majoribus quam minoribus, & excludit quoad majora plane Cameram Imperialem Wetzlarienſem.

V.

Feuda autem Imperii duplicis ſunt generis, vel regni Germanici vel Italici; de his infra §. 19. Illa vero iterum duplicia ſunt vel feuda Officialium, quæ vulgo majora ſeu regalia dicuntur, ſub quibus comprehenduntur Electoratus, Ducatus, Principatus, Comitatus ac Baroniæ (9); vel miniſterialium, quæ minora ſeu non regalia paſſim nominantur, & regali dignitate minime gaudent: hujus generis ſunt feuda, quæ a nobilibus Imperii immediatis poſſidentur; de quibus §. 13. pluribus.

V I.

Jam de feudis regalibus nobis differendum eſt, quæ rurſus ſunt vel Eccleſiaſtica vel ſecularia: Priora, quæ in Archiepiſcopatibus, Epiſcopatibus & Abbatiis conſiſtunt Imperatori & Imperio nunquam aperiuntur (10), ſed manent potius, tanquam hereditario domino, apud Capitulum (11). Eorum quidem poſſeſſores propter

(8) *Ordinat. judicii Imp. aulici de ann. 1559. Reichs-Hoffraths-Ordn. de anno 1654. Tit. 2.*

(9) *Wurmſer. Exercit. III. §. 25. qui in genere Barones Comitibus æquiparat. Struv. jurisprud. Publ. c. XI. §. 16. Meretur quoque legi Diſſ. Beati Sam. Stryckii de Comitibus & Baronibus Imp.*

(10) *Lyncker. Comment. ad Capitul. Joſeph. art. XXIX. p. 71.*

(11) *II. Feud. 40.*

Digitized by Google

pter delictum ab Imperatore atque Imperio Banno notari, feudisque Eccleſiaſticis privari poſſunt, quamvis non facile in Bannum ſuperius, DIE OBER-ACHT, incurrant (12). Nihilo tamen minus nec Imperator nec Imperium de feudo amiſſo diſponere poteſt, quoniam pro mortuo jam habetur Epiſcopus proſcriptus, eique a Capitulo protinus conſtituitur ſucceſſor (13). Hoc tamen absque omni controverſia conſtat, Epiſcopum ratione feudi Eccleſiaſtici majoris coram judicio Imperatoris aulico conveniri poſſe, quia tunc non ut Epiſcopus, ſed ut princeps ſecularis & Status Imperii conſideretur. Ac nulla poteſt reddi ratio, cur ille minus, quam alii, qui perinde regalia Imperii feuda tenent, intuitu beneficii ſui coram Imperatore reſpondere obligetur (14).

VII.

Quod ad feuda Imperii ſecularia majora ſeu regalia attinet, notandum, quod de iis cognitio duplici modo ſit conſideranda: nam quæſtio oritur aut de feudo conſtituto, & ab ejus natura dependentibus; aut de feudo conſtituendo. Priori modo controvertitur inter duos pluresve Imperii Status vel de poſſeſſione, ſucceſſione, diviſione, oppignoratione &c. alicujus feudi regalis; vel ſuper iis, quæ ab ejus natura dependent, ut pote fide, inveſtitura, ſervitiis, felonia, &c. (15). Poſteriori Imperatorem inter & ſtatum Imperii de conferendo feudo ſive per mortem naturalem ſive civilem aperto contenditur. Quoties enim cunque vel familiæ Vaſallorum Imperii ſunt extinctæ, vel vaſallus feudum refutavit, vel ob delictum amiſit, nullis exiſtentibus expectativis nec pactis confraternitatis, feuda Imperio aperiuntur.

(12) *Langens Einleitung zu den Geſchichten und dem daraus flieſſenden Jure Publ. Lib. II. Sect. 3. p. 1068.*

(13) *Lyncker. c. l.*

(14) *Itterus de Feudis Imp. c. XXV. §. 4.*

(15) *Eyben. Diſſ. de Cauſis feudal.*

Digitized by Google

VIII.

Eo caſu, quando ſcilicet de feudo conſtituto inter Imperii Status lis oritur, cognitionem ſoli Imperatori, excluſis Statibus, competere extra omne dubium eſt, qui eam mediante judicio ſuo aulico exercet, ita ut nec judicium Camerale in hoc controverſiarum genere, ut in reliquis, concurrentem cum laudato judicio habeat juriſdictionem (16). Modo cauſa vere feudalis ſit, ſcilicet reſpiciat perſonas feudales, qualitas feudalis ab his non negetur & quæſtio oriatur denique ex jure feudali, an rem ipſam vel poſſeſſionem concernat, nihil intereſt (17). Interim nemo ſibi perſuaſerit, hanc judicii Imperatoris aulici juriſdictionem ex I. Feud. 18. recte probari poſſe, uti plurimi veterum JCtorum putavere, cum ab initio hujus judicii Imperatores ſibi cauſas feudales reſervaverint, & eas eodem judicio expreſſis verbis confirmaverint (18). Abſurdiſſimum igitur eſſet, hanc juriſdictionem in dubium vocare, cognitionemque in feudalibus dicto judicio, reclamante ipſa obſervantia & praxi, denegare: multis exemplis aſſertionem hanc faciliime confirmare poſſemus, ſi noſtri eſſet inſtituti exemplis militare, ubi cauſam noſtram agit lex expreſſa, ex qua ſponte cognoſcendum, quod a veritate neutiquam aberramus.

IX.

In antecedenti §. diximus, quod ſolus Imperator, excluſis Imperii Statibus, juriſdictionem feudalem in Imperio exerceat. Verum enim vero negandum plane non eſt, Imperatores interdum in cauſis arduis conſilium Ducum circuli, ſub quo feudum regale controverſum ſitum eſt, vel ſtatuum quoque potentiorum arbitrium ſive ſententiam ultro requiſiviſſe, & ſecundum eorum ſuaſum controver-

(16) *Ordin. Camer. Part. II. Tit. 7.*
(17) *Titius Jur. Privat. Lib. XI. c. 20. Eyben Diſſ. de Cauſis feud. Struvius S. J. Feud. c. XVI.*
(18) *Ordinat. Jud. Aulic. Imp. Tit. II. ſ. 1.*

Digitized by Google

troverſias dijudicaſſe (19). Quid? quod ejusmodi contentiones feudales per modum gravaminis quandoque ad comitia delatæ ſint, de quo multa exempla extant (20). Verum enim vero uti in genere recurſus ad Comitia, ita quoque in ſpecie, & quidem in feudalibus controverſiis, non ſemper locum habet (21), ſed hujuſmodi cauſæ ad ſumma Imperii tribunalia, & quidem quando de feudis regalibus diſceptatur, ad judicium aulicum Imp. remittuntur, uti factum fuit in cauſa Rheinſteinenſi (22).

X.

Ita omnino cum feudis Imperii regalibus ſeu majoribus comparatum eſt, quæ ratione juriſdictionis feudalis judicio Imp. aulico ſubjecta ſunt, & plane excluditur judicium Camerale alias cum priori occurrentem habens jurisdictionem: ſed quid juris, quando de parte tantum feudi regalis quæſtio oritur? Magna nobis occurrit controverſia: ſunt enim nonnulli, qui Camerali judicio tunc attribuunt cognitionem, atque præjudiciis Cameralibus ſuam confirmare aſſertionem nituntur. Ex quorum numero præ cæteris ſunt anteſignani Sixtinus, (23), Blumius, (24), & plures alii, qui ſat ſpecioſe de hac cauſa diſputant. Interim non deſunt, qui contrarium etiam in hoc caſu evincere ſatagunt, atque negativam ſententiam veriorem eſſe arbitrantur. Pro confirmanda ſententia ordinationem judicii cameralis (25) utraque pars allegat. Et quidem

(19) *Reinking. de Regim. ſec. & eccl. Lib. I. cl. IX. c. 19. n. 29. Struv. S. J. P. c. XXIV. §. 23. Thucelius Elect. Jur. Publ. c. I.*

(20) *Struv. c. l. c. XXIII. §. 43.*

(21) *Vid. Decretum per Commiſſionem Cæſar. in Comitiis anno 1715. exhibitum.*

(22) *Struvius c. l.*

(23) *Lib. I. de Regalib. c. VIII. n. 19.*

(24) *Proceſſ. Cameral. Tit. XLI. n. 4.*

(25) *Part. II. Tit. 7. Ob auch ſachen vorfielen, Fürſtenthum, Herta-*

dem cum allegatam ordinationem intuemur, totius feudi abjudicatio, quam ſibi Imperator reſervavit, ibi tantum indigitari videtur; quam interpretationem priores ambabus manibus accipiunt: poſteriores vero argumento iſtius textus ita concludunt: quicquid juris in toto regali feudo, idem quoque juris eſſe cenſendum in ejus parte. Nam Cæſaris & Imperii non minus intereſt, ne tam pars quam totum feudum dividatur, atque in alium transferatur, vel quidpiam diſponatur, quod in Imperatoris & Statuum præjudicium tendere poſſit (26).

X I.

Sed ne a via veritatis trita aberremus, in decidenda hacce quæſtione ante omnia videndum, quomodo verba iſta citati textus *gäntzlich und endlich* ſint intelligenda. Nobis autem videtur, veritati & intentioni Auguſtiſſimi legislatoris magis eſſe congruum, quando vocabulum *gäntzlich* non refertur ad corpus & quantitatem feudi, ſed ad ſententiæ de ipſo feudo ferendæ qualitatem, ut hic ſcilicet ſit ſenſus: de illis feudis ſolum cognoſcere Imperatorem, quando definitive & in judicio petitorio judicetur, ſive de integro feudo regali, ſive ejus ſolummodo parte lis ſit; econtrario, quando tantum interlocutoria Sententia pronunciatur, aut in judicio poſſeſſorio agitur, Cameræ imperiali cognitionem de hiſce feudis neutiquam eſſe denegandam; uti ſecundum hanc opinionem in ipſo judicio Imperatoris aulico, teſtante Reinkingio (27), jam olim pronunciatum eſt. Imo vocabulum *endlich* præſuppo-nit

Hertzogthum, Graffſchaften &c. belangend, ſo dem Reich zu Lehn rühren, ſo einem Theil gäntzlich und endlich ſollen abgeſprochen werden, derſelben Erkäntnis wollen wir der Käyſerl. Maj. vorbehalten haben.

(26) *Itterus de Feud. Imp. c. XXV. ſ. 6.*

(27) *De Regim. ſec. & eccl. Lib. I. claſſ. 4. c. 19. cum quo conſentiunt Schraderus de feudis Part. X. Sect. II. n. 68. Paurmeiſter. de Juriſd. Lib. II. c. 5.*

Google

nit omnino ſententiam definitivam, & finem litis deciſivum. Ad hoc accedit, quod nec obſervantia nec praxis explicationi noſtræ eſt contraria, uti ex actis publicis fuſius apparet (28).

XII.

Quæ cum ita ſint, omnino ſtatuendum, quod in cauſis partem feudi majoris concernentibus judicio Camerali nulla competat cognitio, quando nempe in petitorio agitur, & pars feudi controverſa alteri parti plane eſt abjudicanda (29). Quare dum inter Comitiſſam de Poettingen atque Burggravium de Kirchberg de tertia parte comitatus Hachenburgici eſſet controverſia, eademque in Camera Imperiali ventilata, ab Imperatore cauſa avocabatur (30). E contrario cauſæ tam feuda regalia, quam eorum partes concernentes coram judicio camerali pertractari poſſunt, ſi in poſſeſſorio agatur. Simili ratione idem ſtatuendum eſt, ſi de juribus regalibus, urbe, caſtro, villa in terra feudali ſitis, quæſtio ſit. Imo cauſæ quoque allodiorum imperii & feudorum mediatorum coram eodem judicio ventilantur; id quod ex controverſia ſucceſſionis in principatum Meurs, qui allodium eſt, ſatis ſuperque conſtat, quicquid ſit quod alii de hac materia apud Itterum (31) adhuc dubitant.

XIII.

Verum enim vero cauſæ feudorum Imperii minorum ſeu non regalium, utpote in Ordinatione Camerali non exceptæ, ſine omni controverſia judicii Cameralis agnoſcunt jurisdictionem, ac tunc inter hoc atque judicium Imperatoris aulicum ob concurrentem jurisdictionem præventio locum habet (32). Id quod etiam af-

D firma-

(28) *Fabri Staats-Canezley Tom. XV. c. 6.*

(29) *Struv. Jurispr. Publ. cap. XXIV. §. 18. Lundorp. Act. publ. Tom. I. p. 23.*

(30) *Gerdes de mandat. avocat. c. XVI. §. 9.*

(31) *De Feud. Imp. c. XXV. §. 6. Conf. Struv. c. l. §. 26.*

(32) *Struv. S. J. P. c. XXIV. §. 24.*

Digitized by Google

firmari poteſt de cauſis feuda Imperii mediata concernentibus, licet in plurimis provinciis dominus immediatus ſoleat eſſe judex. Inde etiam in ejusmodi ſubfeudis domino immediato jus competit, vaſallum ſub pœna ad forum ſuum vocandi (33).

X I V.

Ex hactenus dictis ſatis clare apparet, quantum Imperator poſſit in cauſis feudorum imperii, quantaque ſit judicii ejus aulici poteſtas cognoſcendi de feudis regalibus conſtitutis: jam reſtat alterum membrum noſtræ diſtinctionis ſupra §.7. factæ, videlicet quando de conſtituendo feudo inter Imperatorem & ſtatus quæſtio oritur. Hic res plane aliter ſeſe habet, quam licet paucis, diſtincte tamen enodare cogitamus. Præmittendum eſt, quod omne feudum conſtituendum debeat eſſe apertum: duplici vero modo feuda hodie aperiuntur, vel morte naturali, deficientibus legitimis ſucceſſoribus; vel civili, quando ſtatus imperii propter feloniam feudo privatur, aut ob delictum proſcribitur; tertius enim modus, nempe refutatio feudi hoc ſeculo, ubi principum quilibet maxima provinciarum cupiditate flagrat, haud facile unquam extiturus videtur.

X V.

Prius autem quam collationem feudorum imperii conſideramus, nobis inquirendum venit, quid hodie juris ſit circa proſcriptionem ſtatuum imperii, atque privationem feudorum regalium? Olim quidem, cum ſtatibus Imp. nondum tanta eſſet poteſtas ac hodie, Imperatores ſua auctoritate ſæpius abutentes ſtatus non pro lubitu ſolum feudis privabant, & privata aliis conferebant, ſed pœnis quoque afficiebant turpiſſimus. Otto I. condemnavit nonnullos imperii principes canem mortuum portare, qua pœna Hermannum, Comitem Palatinum, quoque caſtigavit Fridericus I. Impera-

(33) *A Ludewig de primo foro ſub feudorum Imp. Cunſ. Ludovici Lebns-Proceſſ. c. I. §. 55. 99. & 104.*

perator (34). Otto Palatinus ab eodem Friderico Banno imperii proprio auſu notatus eſt (35), æque ac civitas Aquisgranenſis a Ruperto Cæſare hanc ob cauſam, quod noviter electum Imperatorem recipere noluerat (36). Simili ratione Ratisbonenſis civitas a Friderico III. mediante judicio ſuo aulico, proſcripta eſt, quia Alberto Bavaro ſe ſubjecerat. Recentioribus temporibus eadem fata paſſi ſunt Elector Saxoniæ, Johannes Fridericus, & Philippus, Haſſiæ Landgravius, qui ſub Caroli V. imperio, inſciis ſtatibus, in Bannum incurrerunt, proſcriptione a ſolo Imperatore ſine imperii conſenſu facta, qui tamen paulo poſt ſubſecutus eſt (37). Idem quoque dicendum eſt de exauctoratione Friderici V. Electoris Palatini, de qua fuſius ſupra §. 3. Banni declarationis formula olim quoque erat horrenda atque execrabilis, qualem Goldaſtus (38) exhibet, qua vero hodie non amplius utimur (39).

X V I.

At enim vero nimia hæc Imperatorum licentia in proſcribendis imperii ſtatibus anſam fortaſſe dederit, ut proceres & principes imperii

(34) *Andr. Cruſius Diſſ. de* κυνοφορία.

(35) *Otto Friſing. de Geſt. Frider. I. c. 63.*

(36) *Trithem. ad ann. 1401.*

(37) *Hortleder von urſachen des Teutſchen Kriegs lib. III. c. 15. Lundorp. act. publ. tom. II. lib. 6. Plura exempla vide apud Struv. S. J. P. c. XXIV. §. 8.*

(38) *Conſt. Imp. tom. I. p. 238. Wir theilen deine wirthin zu einer wiſſenhaften witthe, und deine kinder zu ehehaften wayſen, deine leben dem Herrn, von dem ſie zu lehn ruhen, dein erb und eigen deinen kindern, deinen leib und dein fleiſch denen Thieren in denen wäldern, den vogeln in den lüften, und den fiſchen in den waſſern; wir erlauben dich auch männiglich auf allen ſtraſen, und wo ein iechlicher mann friede hat, da ſollſtu keinen haben, und weiſen dich die vier ſtraſen der welt in den nahmen des Teufels.*

(39) *Fabri Staats-Canzelley, tom. XI.*

perii ſibi ſuæque ſaluti meliorem in modum proſpexerint, atque per capitulationes (40) Imperatorum poteſtatem hoc in caſu mirum in modum reſtrinxerint. Et quidem in Caxoli V. Capitulatione art. XXII. ſtipulatum jam legimus, ne ſtatus ſine prævia cauſæ cognitione in Bannum declarentur; ſed eadem conſtitutione in exauctoratione Electoris Saxoniæ atque Landgravii Haſſiæ non ſatis exacte ab Imperatore obſervata, ſequentibus ſanctionibus capitularibus inſertum fuit, ne ſine Electorum conſilio pariter atque conſenſu ab Imperatore ſtatus Banno imperii notarentur (41). Tandem per capitulationem inviɛtiſſimi Caroli VI. ſemper Auguſti, & quidem art. XX. jus declarandi ſtatus in Bannum ad conſenſum comitialem fuit remiſſum, modusque ac ratio præſcripta, quomodo circa Bannum imperii inpoſterum ſit procedendum (42).

XVII.

Feuda vero regalia vel morte naturali vel civili aperta hodie non ad Imperatoris fiſcum, ſed ad imperii patrimonium pertinent, quæ ſecundum capitulationis Carolinæ articulum XI. non amplius aliis conferri poſſunt. Cautum enim eſt, ut feuda aperta imperio ad ejus & Imperatorum ſuſtentationem impoſterum incorporentur; & quidem hac ratione, ut electoralia, ſi nempe aliquando ſatis incrementi acquiſiverit imperium, non niſi cum electorum; principatus vero cum principum, comitatus & liberæ imperii civitates cum comitum & reliquarum civitatum imperialium quoque conſenſu aliis conferrentur. Dolendum autem, quod parum incrementi bonorum imperii dominialium ex hujusmodi feudis apertis ſperandum, cum de ſingulis pene vel per pacta ſucceſſoria, vel

(40) *Muldener. Capitul. Harm. & quidem art. XXVII. Capit. Joſeph.*

(41) *Hoc in Ferdin. III. Capitul. art. XXX. primum legimus, quod deinde in reliquis repetitum venit.*

(42) *De hac materia conf. Struv. S. J. P. c. XXIV. ſ. 9.*

vel per conceſſas expectativas, jam dum proſpectum ſit. Olim enim expectativas in feuda majora libere conceſſerunt Imperatores, id quod multis ex hiſtoria exemplis, atque diſpoſitione Aureæ Bullæ (43) probari poteſt (44); ſed in Ferdinandi II. & III. capitulationibus, & quidem art. XXVIII. & XXXII. hoc jus Imperatori eſt ademtum: in recentioribus quidem ſanctionibus capitularibus (45) idem Imperatoribus jure quaſi poſtliminii iterum eſt relictum, ſed ea conditione ut hoc fieret cum electorum atque ſtatuum conſenſu. Quod ad feuda imperii minora ſpectat, de iis libere hodie diſponere poteſt Imperator.

XVIII.

Quod omne perquam ſalutariter & ex re Germaniæ noſtræ ita eſſe conſtitutum, dubitandum neutiquam eſt, quicquid ſit, quod alii aliis rationibus Imperio Romano-Germanico conſulendum eſſe putarint. Quilibet enim ſponte cognoſcit, docente experientia, ſi cum procerum ſeu ſtatuum conſilio concordanter egerint Imperatores, id tam in ſalutem imperii, quam ſuam ipſorum redundare gloriam atque felicitatem. Et quemadmodum omnium regnorum baſis eſt concordia inter imperantes atque parentes; ita noſtra præprimis Reſpublica Germanica propter extraordinariam regiminis formam eodem nititur fundamento. In maximis enim negociis, quibus omnino feudorum regalium collatio adnumerari poteſt, maximorum opus eſſe conſiliis, qui & facultatem habeant exterius, & voluntate non careant interius, ut rei, cui bene cupiant, conſulere velint & poſſint, reſcripſit Henricus IV. Imp. ad Anonem Archiepiſcopum Colonienſem (46).

(43) *Tit. VII. §. 5.*

(44) *Struv. S. J. P. c. XII. §. 48.*

(45) *Capitul. Ferdin. IV. art. XXX. Joſeph. art. XXIX. Carol. art. XI. Fuſius hanc materiam tractavit Maſcovius in elegantiſſima Diſſ. de exſpectativis in feuda Imp.*

(46) *Epiſt. I. apud Juſt. Reuber. Tom. unic. Scriptorum Germ. fol. 195.*

XIX.

Tantum de collatione feudorum imperii regalium: reſtat adhuc cognitio de eorum inveſtitura. Et quemadmodum ſine ulla hæſitatione fatendum, inveſtituram omnino competere Imperatori, tanquam ſummo imperii capiti totum imperium repræſentanti; ita eidem cognitio de inveſtitura eo magis adſcribenda, quando ſcilicet & quibus caſibus renovatio inveſtituræ in feudis imperii fieri debeat (47). Inveſtit autem ſolus Imperator de omnibus imperii feudis tam regni Germanici quam Italici, ſive ſint majora, ſive minora, aut eccleſiaſtica aut ſecularia, & hoc jus inter Imperatoris reſervata merito numeratur, licet jus inveſtiendi de feudis imperii minoribus interdum aliis committerent, uti apparet ex conſtitutione Caroli V. (48). Nec obſtat, quod minoris imperii vaſalli coram judicio Imperatoris aulico inveſtituram accipiant: quod quis enim alii faciendi jus dat, ejus ipſe auctor cenſetur, & facere per ſe videtur, qui per alium facit (49). Quod tandem ad inveſtituræ ſolennitates attinet, ſuperfluum eſſe arbitramur, eas hoc loco recenſere, cum illæ ſatis notæ in Auctoribus paſſim inveniri queant (50).

XX.

Denique conſideranda ſunt feuda regni Italici, quæ iterum in majora & minora, ſeu regalia atque non regalia dividuntur. Prioribus adnumerantur Ducatus Sabaudiæ, Mediolanenſis, Florentinus, Mantuanus, Mutinenſis Parmenſis; Principatus Mirandulanus ac Pedemontanus; Marchionatus Montisferatenſis, Anconitanus & Pignarolii. Poſteriora per magno Baronum & aliorum

(47) *Capitul. Caroli VI. art. XI. Leibniz. Prodr. Cod. J. G. p. 14. Struv. S. J. P. c. XI. §. 31.*

(48) *Vom Reichs-Regiment Wormotiæ anno 1521. facta, §. 4.*

(49) *Cap. qui per alium 72. de Reg. Jur. in Sept.*

(50) *Conf. Struv. Juriſp. feud. in Append. Stryckii Examen Jur. F. in Append. Itterus de Feud. Imp. c. IX. §. 29.*

Google

rum vaſallorum numero conſiſtunt (51). Horum poſſeſſores, excepto Sabaudiæ Duce, non ſunt Status Imperii, ſed nudi vaſalli & juris Longobardici, qui nec jurium, nec commodorum imperii participes ſunt, ac quos leges feudales ſaltim obligant (52). De his autem inter omnes conſtat, Imperatorem in cauſis ea concernentibus liberius verſari poſſe (53). Hinc facilius ob feloniam feudo privantur; & olim quidem inconſultis imperii ſtatibus (54), licet vi capitulationis Carolinæ art. xx. hodie ſtatuum conſenſus ad Bannum etiam requiratur, pro ut exemplum Ducis Mantuani 1708 docet (55).

X X I.

Nobis jam quæſtio adhuc ſupereſt: an tempore interregni Vicarii S. R. I. omni poteſtate & juribus Imperatoris tunc gaudentes de feudis imperii regalibus cognoſcere poſſint? Ad quod diſtinguendo inter cognitionem & inveſtituram reſpondendum eſt: hæc quidem iis ſpeciatim eſt prohibita legibus imperii & Aurea Bulla (56), atque ſoli Imperatori reſervata; nihilo tamen minus non licet inferre, quod iis denegata ſit cognitio in cauſis feudalibus, durante nempe interregno, cum omnino hoc jure fruantur: gerunt enim eo tempore vices Cæſaris; hinc jus exercendi judicia in imperio vi Aureæ Bullæ iis competit, ergo etiam cognitio de feudis imperii tam majoribus, quam minoribus, ſine omni dubio iis eſt attribuenda. Diſſentiunt quidem nonnulli (57) putantes, hoc de

(51) *Itterus de Feudis Imp. c. VI. p. 263.*

(52) *Struv. Juriſp. Publ. c. XXVIII. §. 18. 19.*

(53) *Lyncker. ad Capitul. Joſeph. p. 70.*

(54) *Hagemayer Jur. Publ. Europ. Epiſt. VI. de Statib. Ital. §. 39.*

(55) *Fabri Staats-Cantzley Tom. VI. c. 9. Tom. XIII. p. 670.*

(56) *Tit. V.*

(57) *Stryck. exam. jur. feud. c. XXV. qu. 5. Schweder. Inſt. J. P. ſect. I. c. 33. §. 7. Textor. J. P. tit. XV. n. 144. Carpz. de leg. Reg. c. XI. ſect. 15. n. 8.*

Digitized by Google

de feudis tantum minoribus intelligendum eſſe, atque nullum exemplum alicujus controverſiæ de feudo regali a vicariis deciſæ allegari poſſe. Sed, hoc non obſtante, noſtram ſententiam in theſi veriorem eſſe nobis cum per plures Doctores ſtatuunt (58). Nec huic aſſertioni obſtat receſſus Imp. 1521. de ordinatione Regimenti Imperii §. *Ob auch Sachen &c.* quia textus hoc loco minime loquitur de Vicariis Palatino & Saxonico, utpote quos jure eorum quæſito Carolus V. privare non poterat; ſed de eo tantum, quem Carolus tunc temporis conſtituebat, ut in ejus abſentia imperio præeſſet, cui qualemcunque poteſtatem prolubitu tribuere potuit (59). At enim vero hæc vicariorum poteſtas circa cognitionem feudorum imperii ceſſat, quando Imperator noviter electus regnum adeptus, aut abſens iterum redux factus fuerit, & finito hac ratione vicariatu, novo Imperatori imperium reſignant vicarii, qui tamen acta & geſta, atque per conſequentiam hanc de feudis cognitionem etiam approbare & ratihabere tenetur. Quod reliquum eſt, de feudis imperii minoribus vicarios non ſolum libere cognoſcere, ſed etiam inveſtire poſſe, nemo inficias facile ibit, eo quod iis hoc jus in Aurea Bulla art. v. reſervatum, atque nulla vel ſcripta vel uſu introducta imperii lege reſtrictum aut limitatum eſſe conſtet (60), quæ tamen inveſtitura per Regem Rom. poſtea electum ſuo tempore iterum innovanda eſt.

XXII.

(58) *Thulemar. Octov. c. XXII. ꝓ. 21. Feltmann. de Feud. c. XIX. ꝓ. 2. Limnæus J. P. Lib. III. c. 12. n. 57. Itterus de Feud. Imp. c. XXV. ꝓ. 19. Struv. S. J. P. c. XXIV. ꝓ. 25. Wernber. de Jure Vicariorum ꝓ. 22.*

(59) *Limnæus J. P. Lib. III. c. 12. n. 65.*

(60) *Memini vidiſſe in Rautners Teutſchen Staats-Kunſt p. 563. citationem ab Elect. Bavariæ 1658. emiſſam, qua omnes imperii Vaſſalli minores in partibus Rheni, Sueviæ & juris Franconici jubentur, ut ab eodem tanquam Vicario feuda intra unius menſis ſpatium ſub pœna feloniæ recognoſcant.*

Digitized by Google

XXII.

Cæterum falſiſſimum eſſe, omnique experientiæ repugnare, luce meridiana clarius eſt, quod poſt alios putat Hugo Grotius (61), alias vir omni laude major, Pontificem nempe Romanum vacante imperio inveſtituram feudorum imperii Statibus regni Italici tribuere, quia ſcilicet in Populo Romano tunc temporis libero primas obtinet. Interdum ſane bonus dormitat Homerus. Huic aſſerto autem opponimus tritiſſimum illud: quod quis non habet, alteri dare non poteſt; tantum abeſt, ut Imperatores Epiſcopis Romanis ullam conceſſerint Vicarii poteſtatem, nec per Germaniam, nec per Italiam. Imo Grotius nec unicum poteſt in medium proferre exemplum feudi alicujus a Pontifice collati. Nos quidem minime fugit, Papas ſibi olim vindicare niſos eſſe imperii vicariatum, id quod publica conſtitutione (62) aſſerere haud dubitaverunt Clemens V. nec non Johannes XXII. quibus tamen fortiſſime repugnatum eſt ab Imperatoribus atque imperii proceribus, & quidem priori in comitiis Fracofurtenſibus ann. 1339; poſteriori vero per ipſam Auream Bullam. Accedit, quod & ipſe Sabaudiæ Dux jure vicarii perpetui per Italiam ex conceſſione Sigiſmundi & confirmatione aliorum Imperatorum, ut Leopoldi, Joſephi & Caroli VI. gaudeat (63), ut hac vice de cæteris Italiæ Vicariatibus, nempe Mediolanenſi, Mantuanoque taceamus.

XXIII.

Quæ cum ita ſint, facile intelligi poteſt acerrimas diſputationes de hac materia olim inter Doctores agitatas, non amplius inter privatos locum habere, cum ipſa controverſia legibus imperii ſatis

E clare

(61) *De Jure Belli & Pacis Lib. II. c. 9. ſ. 11.*

(62) *Clement. Paſtoralis de Appellat. en verba: Nos jam ex ſuperioritate, quam ad imperium non eſt dubium nos habere, quam ex poteſtate, in qua, vacante imperio, Imperatori ſuccedimus &c.*

(63) *Muldener Capitul. Harmonica art. IV. capit. Joſeph. Conf. Anton. Theſaur. in Præfat. Deciſ. n. 14.*

clare deciſa inter Imperatorem & Status nunc ceſſet. Nec erubeſcunt imperii Status, cauſas feudales coram judicio Imperatoris aulico ventilare, atque ab eodem ſententiam expectare, modo in privatione & collatione feudorum regalium eorum conſenſus requiratur.

CAPUT III.

De modo procedendi in Cauſis Feuda Imperii concernentibus hodierno.

JUre Longobardico nullus procedendi modus præſcriptus eſt, §. I. *Modus procedendi hodiernus*, II. *Sententia quomodo ferenda*, III. *Executio*, IV. *Quando requiſitio feudi fieri debeat*, V. *Quomodo ea fieri debeat*, VI. *Ubi inveſtitura fieri debeat*. VII. *Quid requiratur ad inveſtituram coram judicio aulico*, VIII. *Taxa feudalis, quando & a quibus ſit ſolvenda*, IX. *Quomodo inveſtitura fiat coram judicio Imp. aulico*, X. *Literæ inveſtituræ*, XI. *Epilogus*, XII.

§. I.

JUre feudali Longobardico in cauſis feudalibus modus procedendi non eſt præſcriptus; nonnulla tamen paſſim eorum atque Germanico olim fuerunt definita. Extat hac de re conſtitutio Conradi Salici, quam revocavit Lotharius Imperator I. Feud. 22. Potiſſimum vero ſub finem ſpeculi Saxonici (*Sächſiſches Land-Recht*) reperitur, quomodo in judicio feudali procedendum (1). Hodie regulariter idem obſervatur, qui alias in civilibus præſcriptus eſt modus, niſi ſpeciale quicquam jure feudali

(1) *Conf. plur. jus feudale Sax. cap. 51. 58. Jus Feud. Alemann. c. XVIII. & ibi Schilter. Berlich. p. I. concl. LXII. Ludovici Lehns-Proceſs, c. III.*

dali diſpoſitum reperiatur, quæ tamen ſpecialia moribus fere plane ceſſant. (2)

II.

Quod ad judicium feudale S.R.I. quod ipſum judicium Imperatoris aulicum eſt, attinet, ſciendum, eundem procedendi modum in cauſis gratiæ ſive feudalibus ibi obſervari, qui alias in civilibus, ſive cauſis juſtitiæ, uſu receptus atque introductus eſt. Hinc, quanquam proceſſum a præcepto & executione inchoare, jure communi regulariter prohibitum ſit, (3); nihilo tamen minus, urgente neceſſitate vel æquitate, etiam in proceſſu feudali mandata cum vel ſine clauſula ab initio litis decerni ſolent (4). Porro eadem ratio citandi partes, eadem quoque probatio, quæ in civilibus, in laudato judicio obtinet, atque actore non probante reus abſolvitur, niſi conjecturæ pro una parte militantes exegerint juramenti delationem. Sic præſumtiones in proceſſu feudali & hic admittuntur, & res magis allodialis quam feudalis præſumitur (5), feudumque potius cenſetur eſſe proprium, quam improprium; potius antiquum, quam novum potius maſculinum quam fœmininum (6).

III.

Regulariter in judicio Imperatoris aulico ſententia feudalis fertur, præſentibus hujus judicii Præſide & reliquis adſeſſoribus ſeu conſiliariis. Et quia in cauſis juſtitiæ in genere remedia ſuſpenſiva, e.g. appellatio, reviſio, reſtitutio in integrum, licita ſunt, niſi expreſſe ſint prohibita (7); ita eadem in feudalibus coram hoc

E 2 judi-

(2) *Struv. S. J. F. c. XVI. ſ. 10. Carpz. Part. I. c. 27. def. 2.*

(3) *L. 58. ff. de Re judic. l. 1. C. de execut. rei jud.*

(4) *Gail. Lib. I. obſ. 13.*

(5) *Struv. S. J. F. c. XVI. ſ. 11. Itter. de Feud. Imp. c. XXV. ſ. ult.*

(6) *Conf. Coccej. Diſſ. de Probatione Feud.*

(7) *I. Feud. 22. ſ. fin.*

judicio locum habent. Camerale vero judicium reviſionem ſuper feudo regali recipere nequit, cum harum cauſarum cognitionem ſoli judicio ſuo aulico reſervaverit Imperator; bene tamen ſuper feudis non regalibus & mediatis (8); excepto caſu, quo ſententia a judicii Imperatoris aulico jam lata eſt: nam conſtat, nec a Camera Imperiali ad judicium aulicum, nec vice verſa, appellari poſſe.

§ V.

Quoad executionem ſententiæ ſciendum, executionem, ſi judicium Imperatoris aulicum ſententiam tulerit, non fieri ab ipſo Imperatore, ſed a Ducibus circulorum, & ſi unus circulus non ſufficiat executioni, vicini circuli in ſubſidium vocantur, uti in cauſa Zwingenbergenſi 1728. ab Imperatore factum atque decretum eſt (9). Præmitti tamen ſolet clauſula paritoria, ut intra certos menſes ſententiæ ſub pœna executionis pareatur. In terris Italiæ modus exequendi alius uſu receptus eſt: Lata ſententia alicui ex Imperii Vaſallis, qui victo proximus, mittimur, annexo mandato, ut eandem victo inſinuari faciat, terminumque congruum ad parendum præfigat, intra quem a tempore inſinuationis computandum, ſi condemnatus non paruerit, ſententiam, ſi opus, manu militari exequatur. Si vero hic Vaſallus ad exequendum conſtitutus in officio ſuo negligentem ſe præbeat, tunc per excitatoria reſcripta, & tandem per mandata pœnalia ad executionem peragendam conſtringendus (10).

V.

Alius procedendi modus in hoc judicio Imperiali obſervatur circa feudi requiſitionem; hinc non immerito de hac quidpiam in ſpecie ſubjungendum. Verum enim vero aliunde jam notum eſt, quod

(8) *Blumius Proc. Camer. Tit. LXI. n. 8.*

(9) *Thomaſius Diſſ. de Execut. circularibus.*

(10) *Cramer. Manuale Proceſſus Imperial. Sect. I. c. 13.*

quod quandocunque vel Dominus vel vaſallus moritur, & ſic vel novus dominus directus vel vaſallus in locum prioris ſubintrat nova requiſitio feudi ſive inveſtitura intercedere debeat; hinc mortuo Imperatore Status Imperii feuda poſſidentes a ſucceſſore in Imperio intra annum & diem eadem denuo requirere opus habent (11). Econtrario ſi ſola mutatio in vaſallo contingat, ejus filius vel ſucceſſor in feudo infra annum & diem a morte prædeceſſoris ſui, ſub pœna caducitatis, ejusdem requiſitionem peragere tenetur (12). Si ſunt Clerici, tunc hoc temporis ſpatium non a prædeceſſoris morte, ſed a die ſuæ electionis eſt computandum.

VI.

Ut autem hæc feudorum Imperii requiſitio ſeu inveſtitura debite peragatur, requiritur 1. documentum mortis a loci capitulo aut parocho, quo die & anno Vaſallus obierit; 2. mandatum ſive literæ credentiales, ut vocantur, ſi per legatum inveſtitura ſuſcipiatur; 3. Vaſallus clericus e. g. Archiepiſcopus, Epiſcopus, Abbas, oportet habere documentum legitimæ electionis a capitulo ſignatum, confirmationem pontificiam ſuæ electionis, & literas ad Imperatorem commendatitias, quas Breve vocant, ut & literas inveſtituræ ultimas; quæ omnia 4. per ſupplicem libellum in conſilio aulico imperiali ante lapſum anni & diei exhibeat, atque inveſtituram petat. Quo facto, dictum conſilium aulicum ſuum ad Imperatorem conficit votum, implorantes ſcilicet ad inveſtituram admitti poſſe. Tunc pro certa die præfigenda ad ſuſcipiendam inveſtituram legati apud ſupremum aulæ præfectum aut Vice-Cancellarium Imperii ſolicitant (13).

VII.

Inveſtituram de Electoratibus, Ducatibus, Principatibus & Co-

(11) *Struv. Jurisprud. Publ. c. XI. §. 17. Cramer. c. l. Sect. II. c. 1.*

(12) *II. Feud. 24. princ.*

(13) *Cramer. c. l.*

Comitatibus principali dignitate gaudentibus in aula & Anti-Camera Imperatoris coram throno S. Cæſ. Majeſtatis immediate & ſolenniter peragi inter omnes conſtat (14): atque hujusmodi feuda vulgo appellantur feuda regalia ſeu majora, Germanice *Fahn-und Scepter-Leben.* Nec ſtatus ad eandem ſuſcipiendam extra Germaniam poſſunt evocari (15). Comitatus autem, Baroniæ atque minora Imperii feuda, tam Germanica quam Italica, apud judicium Imperatoris aulicum minus ſolenniter conferuntur. Utraque inveſtitura fit Imperatoris & Imperii nomine, quod verba vaſallagii indicant: *dem H. Reich und deſſen Haupt getreu, hold und gewärtig zu ſeyn.* Quare etiam dicuntur Feuda Imperii, *Reichs-Leben.*

V I I I.

Quod ad poſteriora, quæ nempe a judicio aulico conferuntur, ſpectat, ad horum inveſtitutam requiritur, 1. ut infra annum & diem a morte prioris vaſalli computandum pro inveſtitura in Conſilio ſæpius nominato ſupplicetur; 2. documentum ſeu teſtimonium mortis a Parocho loci adferatur; 3. ultimæ literæ inveſtituræ exhibeantur, 4. & ſi vaſallus non in perſona, ſed per mandatarium inveſtituram requirat, neceſſe eſt, eundem mandato ſpeciali, & ſi plures vaſalli ſint ab omnibus ſubſcripto & ſignato præmuniri (16).

I X.

Exhibita ſupplicia cum recenſitis requiſitis a judicio Imp. aulico decerni ſolet, quod ad juramentum admittendus ſit vaſallus, cui aut ejus mandatario tunc incumbit in Officio Taxæ, *im Kayſerlichen Reichs-Hoff-Tax-Amt*, certam pecuniam, *die Lehn-Tax*, intra menſis ſpatium ſolvere, ſub pœna caſſandæ decretæ inveſtituræ;

(14) *Itterus de Feud. Imp. c. IX. §. 33. Wagenſeil de ſummis Official. c. V. & VI.*

(15) *Capitul. Caroli VI. art. XVI.*

(16) *Cramer. c. l. Sect. II. &c.*

turæ; a qua tamen immunes ſunt Electores & Auſtriæ Archiduces (17), ratione feudorum majorum licet de minoribus, ſi quæ poſſident, miniſtris aulæ Imperialis certum quid ſolvant. Principes autem Imperii ſupremo curiæ magiſtro exſolvunt ſexaginta tres marcas argenti cum quadrante, qui hanc ſummam inter Imperii ſub-officiales atque aulæ Imperialis Officiales, pro ut præſcriptum (18), diſtribuit. Receptam deſuper a Taxatore quittantiam conſilio Imperiali aulico exhibere; vel, ſi infra hoc tempus dicta taxæ pecunia ſolvi nequeat, pro prorogatione præfixi termini mandatarius ſupplicare neceſſe habet (19).

X.

Facta autem hac ſolutione apud Præſidem conſilii Aulici diem ad præſtandum juramentum inveſtituræ ſolicitare debet mandatarius; quo obtento, poſt finitum conſilium ejusdem diei ad locum dicto illuſtris collegii intrat, ibidemque, duobus digitis Evangelii libri impoſitis, juramentum, quod ipſi ſecretarius prælegit, jurat, & quidem Prælati, Comites, Barones, nobilesque feuda Germanica poſſidentes, ſive eorum mandatarii ſtantes inveſtiuntur a judicio præfato; principes vero, Comites & reliqui Vaſalli regni Italici geniculatim inveſtituram recipiunt (20).

X I.

Inveſtitura hoc modo peracta atque vaſallagio præſtito, nihil aliud reſtat, quam ut coram prædicto Judicii aulici Secretario exhibito literarum inveſtituræ urgeatur, quæ ſemper primæ inveſtituræ debent eſſe conformes, niſi per pacta adjecta quidpiam fuerit immutatum. Hoc documentum in forma probante conficiendum & ſigillo Imperatoris majori obſignandum eſt (21).

XII.

(17) *A. B. Tit. XXIX. §. 1.*
(18) *A. B. Tit. XXIX. §. 3.*
(19) *Cramer. c. l.*
(20) *Uffenbach. de Judicio Aul. Cap. XI. p. 113. Cramer. c. l.*
(21) *Struv. Jurispr. Publ. c. XI. §. 18.*

XII.

Et hæc ſunt, quæ hac vice de jure & modo cognoſcendi de feudis Imperii in medium proferre voluimus. Nulli dubitamus, quin Lector candidus ea ſerena fronte accipiat, legat, judicet. Quæ diximus, Academica libertate, veritatis indagandæ cauſa absque ullo præjudicio aut animi acerbitate expoſuimus, quod ſancte proteſtamur: Verum ſi minus commode, excuſationis loco nobis eſt materiæ difficultas. Faxit DEUS O. M. ut paucula noſtra ſtudia ſuos ſemper Patronos inveniant, & ſub eorum tutela feliciter procedant!

FINIS.

COROLLARIA.

I. Nuptiæ non ſunt contractus.
II. Procurator debet præſtare culpam leviſſimam.
III. Hæres condictione furtiva tenetur in ſolidum.
IV. Contractus in re aliena ſubſiſtit.
V. Literarum obligatio non oritur ex præſumto mutuo.
VI. Impoſſibiles conditiones vitiant pactum.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA